liniamenta disponeret ac membra plasmaret · ut possit dicere · Faciamus hominem
ad imaginem et similitudinem · quam suscepturi sumus ex uirgine · Ideoque ex deitatis
similitudine diriuatur · quicquid homini trinitas in commune largitur · Nec siquidem
primus homo secundi adae suscepisse imaginem dici possit · etiam si filius dei
solus hominem condidisset · Cum uero unita trinitas dicat · faciamus hominem ad ima
ginem et similitudinem nostram · plurali singulare · et singulari plurale permiscens ·
Et iterum · Et fecit deus hominem ad similitudinem suam · ad imaginem dei fecit illum ·
Tociens legis hominem ad imaginem dei conditum · et qua auctoritate contra diuina
eloquia plurimis asserere · iuxta serui formam fuisse compositum · Cum ergo imago
hec a patre et filio et spiritu sancto conferatur · suae absque dubio trium personarum una
diuinitas · primo homini suae imaginis tribuit dignitatem · Que cum ita sint
in esse homini licet adtenuatam uoluntatis propriae libertatem minime dubi
tabis · si primam gratiam qua a deo est honoratus inspexeris · Imago ergo dei dicitur
quia ei indulgentem ac dignantem inseruit ueritas iusticiam · ratio sapientiam · perhen
nitas aeternitatem · De imagine dei est quod intellegit · quod rectum sapit · quod inter
malum et bonum iudicio examinante discriminat · Et cum dei bonitas misericordia ·
patientia · atque iusticia sit quanto quisque magis iustus ac patiens inuenitur ·
tanto magis deo similis adprobatur · Cuius utique similitudo non in uultibus · sed in
uirtutibus possidetur · Et propterea de deo dicitur · subtilis · simplex · sincerus · Simplex
utique · quia nihil illi extrinsecus adiecticium · nihil aliunde conlatum · sed in illo
uirtus · essentia · atque substantia est · Ac sic deus quod habet est · homo uero hec dona
nisi acceperit non habet · Cum ergo deus iustus ac iusticia misericors et misericor
dia · pius et pietas sit · homo iustus esse potest · iusticia esse non potest · miseri
cors esse potest · misericordia esse non potest · Pius esse potest · pietas esse non
potest · quia non naturaliter habet ista · sed largitur · Verbi gratia · ille aurum est ·
homo uero deauratum uas uideri potest · et in homine gratia est · quod in deo natura est ·
Et in hoc creatum est quod in illo probatur ingenitum · Et ideo iuxta hanc rationem